



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Theodori Bezae nativitas & eruditio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

dijis expeti cepit, ut typographi exemplaribus imprimendis vix sufficerent. Nec in Musicos tantum numeros (qui hodieque etiam vsurpantur) verum etiam quam quisque vellet modulationem redacti Psalmi illi passim cantillabantur. Adeoque in aula etiam rex, regina, alij velut proprium aliquem sibi quisque eligebat & ad profanas res, studia sua ac vota accommodabat.

VI. Marotus interim rursus à carcere sibi metuas, quod linguæ parum moderari posset, Geneuam profugit, ubi ad triginta Psalmos iam editos, adhuc viginti alios addidit. Et quamuis in sacro hoc studio multum versaretur, mores tamen mutare non poterat. Quum ergo in prava schola educatus, Ecclesiastica censura ac disciplina vitam suam subijcere non posset, sic loquitur Ecclesiastica Calvinistarum Historia, volens, credo, dicere, Marotum hospiciam suam corruptisse in Pedemontium concessit, quam regionem tum Galli tenebant, atque ibi sub regionum Praefectorum patrocinio rursus aliquam diu vixit, Augusta Taurinorum anno ætatis suæ LX. mortuus. Beza ait. Marotum admirabili ingenij felicitate, sine ulla litterarum aut scientiarum cognitione, omnes antea Poetas superasse, quumque bis religionis causa regno excessisset, de Ecclesia optime fuisse meritum (cuius beneficij memoria ad posteros semper duratura sit) certis Psalmorum Davidis parte vulgariibus rhythmis reddita. Morum vero ac vitæ, quam in aula, unde pietas & honestas fere exulent, totam pene exegerit, reformanda ac melius instituenda, exiguam curam habuisse. Silentio interim præterit Beza, bonum hunc Poetam, ob præclara illa, credo, in Ecclesiam merita, Genevæ flagris casum fuisset. Eidem mortuo idem Beza Gallico carmine parentavit, quod Psalmorum versione præfixum legitur: additisque centum reliquis (non eadem tamen felicitate & elegantia qua Marotus, etsi doctrina aliisque rebus multo instructior) Psalmis, totum opus absolvit. Quia vero dubium mihi non est, quin lector scire cupiat quidnam ille Beza sit torques à nobis in hanc hæretici Theatri scenam productus: age vitam eius ac mores sequenti capite breuiter tantquam in tabella depictam.

DE THEODORO BEZA MAROTI imitatore, ac Psalmodia à Calvinistis introducta.

CAPUT XVII.

ARGUMENTVM.

- I. Theodori Beza natiuitas & eruditio.
- II. Idem scabies doloribus vexatus ad desperationem pene redigitur.
- III. Beza Ecclesiasticum Prioratus munus adipiscitur.
- IV. Ecclesia repudium mittit, & quare.
- V. Geneuam se confert.
- VI. Maroti & Beza Psalmi rhythmicis Musicis numeris includuntur.
- VII. Melodia Psalmorum Calvinisticorum lasciuia.
- VIII. Quando Psalmi in concionibus decantari ceperint.

I. **T**heodorus Beza natus fuit apud Vezelios Anno MDXIX. ipso die 3. Ioannis unde discipulorum quidam alterum eum Ioannem fuisse dicunt. Natiuitatem suam, & quomodo mirabiliter à Deo ex parentum Papisticorum manibus liberatus fuerit; ipse in epistola quodam ad Meliorem Volmarium scripta exponit; inter alia optans, ut parentes sui vera Dei potius cognitione illustrati quam nobiles fuissent. O crudelis parricida! qui non corpus solum, sed etiam animam eorum à quibus vitam accepisti, quantum in te est, occidis, dum eos Otco tradis. Sed hæc Deus vindicabit.

Fuit vero Beza multis ingenij atque animi dotibus ornatus facundus, industrius, Consilio promptus, in Græcis ac Latinis litteris bene versatus, imprimis vero ad Poeticam, siue Latinam siue Gallicam lingua scribere vellet, ab ipsa Natura veluti factus. Quid in hoc genere potuerit, libelli Anno MD. XLVIII. ab ipso editi loquuntur, in quibus effigies eius expressa cernitur, cum sequenti ipscriptione:

*Vos docti, doctæ præcingite tempora lauro,  
Ni sat uel illam uel tætigisse manu.*

In his multa sunt Amatoria, quibus elegantius, vel ut verius dicam, nequius Catullus ac Tibullus nihil scripserunt. Sed quia nota est eius Cæcilia, nos ad alia properemus.

II. Ante-